

**N**ihil equidem frequentius apud Medicos fieri amat, quam ut in disputationibus suis de peculiari morbo acturi eum in genere examinent. At dum accuratius oculo Philosophico rem perlustro, clarissime video, vix possibile esse, ut alicujus particularis affectus generalem definitiō nem cedere possis, quam non, si ad justam rationis censuram revoces, mutilam & mancam reprehendas. Ut enim alia taceam, si modò aciem mentis tuę dirigas ad stupendum humani corporis automaton ex infinitis non solum partibus, sed & motibus compositum, quodque omnium rerum opifex Deus totius mundi compendium & ectypum esse iussit, sine dubio clare videbis in illa ad unum effectum producendum, quam plurima, idque diversis sepiissime modis conspirare, non minus ac in macrocosmo id evenire oculata experientia & sana ratio nulla non die nos docet. Atque hinc facile colliges, illum, qui tentat aliquorum affectuum, qui in hoc automate reperiuntur (& inter quos sunt morbi & symptomata) rationes dare, non tantum non superficialiter id aggredi debere; at præterquam, quod circūspicere debeat, quo modo potius quid effectum sit, simul ad causarum legitimam seriem advertentem ut dirigat animum, necessum fore. Quare cum unus idemque morbus tot & tam diversis modis produci possit, modis, inquam, quorum maxima pars se cogitationi hominum subducit, quique à minutissimis circumstantiis innumeris numeris variabilibus pendent, ac proinde humana mente indagari non possunt, quem, queso, esse putas, qui in tanta mortalium caligine hoc attinget, ut tot causarum farraginem aut sub una generali definitione, ut Iliadem in nuce, concludat; aut ad minimum ejus integrum naturam unius disputationiuncula Gyaris concludat? Ego saltem hic mearum virium imbecillitatem agnoscere malo, quam ut tantæ arrogantiae reum me agam. Eaque de causa satius esse duxi, ut contentus sim, si particularem quendam casum ad manus sumerem, illumque pro modulo meo ad rectam rationis trutinam pensatum, aliorum eruditio & præjudiciis vacuo examini subjicerem. Elegi hunc in finem casum, Epilepsiam mira continentem symptomata, quæ cum præstantissimis ingenii sapientiis crucem fixerint, & in quibus explicandis non solum adhuc varie inter se doctissimi collidunt, sed & ultra probabilitatem vix quid afferant, spero me apud eruditum orbem veniam impetraturum, si ego juvenis & novus ad arma miles hoc in casu, & quidem speciali explicando, non ulterius forsitan progrediar, quam antehac progressi fuerunt. Fateor enim lubens, hunc casum talem esse in quo explicando, si id quod pure & strictè Medicum est afferre velis, parum sis dicturus, at si Philosophice eum considerare placeat (uti non in theoretica tantum, sed in practica quoque